

Quintus

Communiter accidentia sunt duplicia quedam enim sunt que aliquando se consequuntur. et aliquando non. ut comptus et adulter. et ab his non sumitur locus dyalecticus sed sophisticus. Alia sunt quorum unum semper sequitur ad aliud. ut penitere sequitur ad deliquisse et ab his sumitur locus dyalecticus. Et tenet constructivae et destrucivae. Constructivae sic. iste penitet ergo deliquit. Locus a communiter accidentibus. Maxima. Si communiter accidentium posterius inest. et primum infuit. Destructivae sic. Iste non deliquit. ergo non penitet. Locus a communiter accidentibus. Maxima. Si communiter accidentium prius non inest. et posterius non inerit.

Hic consequenter determinat pe. hispanus de loco a communiter accidentibus qui est ultimus locus a comitatibus substantiis. et ad maiorem dicendorum intelligentiam. Primo distinguit communiter accidentia dicens. quod communiter accidentia sunt duplicia. Quedam sunt que se sequuntur aliquando consequuntur et aliquando non. ut comptus et adulter. et ab illis non sumitur locus dyalecticus sed sophisticus. Alia sunt que se semper consequuntur. ut penitere et deliquisse. et ab istis sumitur argumentum dyalecticum. Constructivae et destrucivae. Constructivae sic. iste penitet ergo deliquit. Maxima. Si communiter accidentium posterius inest. et prius infuit. Destructivae sic. Iste non deliquit. ergo non penitet. Maxima. si in communiter accidentibus prius non inest nec posterius inerit. Circa predicta sunt dubia.

Primum dubium est

An locus a communiter accidentibus teneat predictio modo. Et videtur quod non. quia non sequitur peccare est male agere. ergo penitere est male agere. nec econtra sequitur. penitere est bene agere ergo peccare est bene agere. et tamen arguitur ibi ab uno ad reliquum. Secundo non sequitur deus penitet. ergo peccavit. et tamen arguitur per istum locum. Probat primo per illud genesis octavo penitet me fecisse hominem. Tertio non sequitur. iste penitet. ergo peccavit. et tamen arguitur per locum illum. Probat quia antecedens est verum et consequens est falsum. stante illo casu quod ille qui

non peccavit doleat de peccatis aliorum. Quarto non sequitur. iste non deliquit. ergo non penitet. Ans patet. quia antecedens est verum et consequens falsum. stante casu quod aliquis qui nunquam peccavit doleat de beneficiis sibi exhibitis. Quinto non sequitur. Iste penitet. ergo iste peccat. ergo Sexto non sequitur. Iste peccavit. ergo penitet ut manifestum est. et tamen arguitur a communiter accidentibus. Septimo non sequitur. Iste non penitet. ergo non peccavit. et tamen arguitur a communiter accidentibus. Solutio sic. a communiter accidentibus que se consequuntur unum sunt duplicia ut in textu dictum fuit. quedam sunt que contingenter se consequuntur et non semper. ut in homine pulcro bonum. et in homine magno fortitudo. Alia sunt que necessario se consequuntur. eo quod necessaria inter se habet habitudinem. Et ista sunt duplicia. quia quedam consequuntur se consequenter ut in homine risibile et sensible. et in brutis habere cornua. et non habere dentes in superiori mandibula. et habere plumas et non mittere. Alia vero consequuntur se necessario. sed non consequenter. ut derelinquere et penitere. Et dicitur communiter accidentia. quia talia plura unum accidentium

Ad obiecta opposita

Ad primum est dicendum. quod non arguitur ibi penes istum locum. quia requiritur quod in antecedente et in consequente communiter accidentia predicentur respectu eiusdem subiecti. ut sortis penitet. ergo sortis peccavit. Ad secundum dicendum est. quod si penitere accipitur proprie tunc bene sequitur. sed antecedens est falsum quia penitentia iam et similia in deo cadere non possunt. eo quod nulla passio ibi esse potest. Si vero penitere accipitur improprie tunc penitentia dicitur esse in deo per effectum quem circa nos operatur sicut cum penitens operis sui deleat et destruit opus sic etiam deus per peccata hominum deleat homines per unum universale diluunt. Ad tertium est dicendum quod bene valet hoc argumentum. Ad improbatorem dicendum est. quod antecedens est falsum. quia penitere de peccatis est. prout peccata propria deplangere. Si autem penitentia accipitur communiter prout se extendit ad omnem displicentiam tamen de peccatis propriis quod alienis. sic non arguitur per istum locum quia non sunt communiter accidentia. Ad quartum est dicendum eodem modo quod doleat de beneficiis sibi collatis non est proprie penitere. Ad quintum est dicendum. quod non arguitur peccat